



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXX. Falsa testimonia dicta contra Dominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

Falsa testimonia dicta contra Dominum.

I.

Ustinuit Agnellus Divinus in domo Caiphæ, ^{Sistitur Re-}
 secundi judicis, gravissimas injurias: quarum prima, ^{demptor}
 fuerunt falsa testimonia contra eum producta: quod ^{Caipha.}
 est inter maxima mala, quæ pati potest natura humana.
 Congregati erant apud summum Sacerdotem omnes inimici Do-
 mini nostri, magnâ cum sollicitudine, quomodo successerit ejus
 captivitas, metuentes, ne forsan, ut aliâs, eorum expeditio recidisset
 in vanum. Certiores autem facti de successu, magnâ sunt impleti
 lætitiâ, quæ etiam crevit, cum viderent adduci captivum: quam
 risu, diceriis, & sannis demonstraverunt. Quæstio præcipua fuit
 de vita & doctrina Domini, quarum utraque tam sancta & incul-
 pabilis fuit, ut nulla inimicorum ejus malitia, odium & invidia
 quidquam invenire posset, quod cum veritate ipsi objicerent. Per-
 verterunt totum ordinem justitiæ, & falsos testes excitaverunt, ut
 mendacio saltem aliquo colorem suis conatibus inducerent, & ne-
 ci, quam decreverant illi inferre.

II. Varia testimonia falsa prolata fuerunt: ut quod blas- ^{In odium}
 phemiam dixerit contra templum, cum dicebat, se illud in triduo ^{veritatis}
 reedificaturum, loquens de templo corporis sui: quod eos bene ^{falsò accu-}
 intellexisse, & malitiosè in alium sensum traxisse patet ex eo, ^{satur.}
 quod à Pilato petierint adhiberi custodes sepulchri, quia dixe-
 rit se tertia die resurrecturum. Alii accusarunt eum, quod pro- ^{Matth. 22.}
 hibuerit dari Cæsari tributa; cum apertissimè dixerit, Cæsari ^{21.}
 danda, quæ sunt Cæsaris; & pro se jussit dari staterem inven- ^{Matth. 17.}
 tum in pisce, propterea capto. Alii accusarunt, quod se fecerit ^{26.}
 Regem; cum notissimum esset, eum fugisse, quando quinque
 millia hominum, miraculo à se satiatorum, voluerunt eum per
 vim Regem creare. In hunc modum alia plura dixerunt, quæ
 manifesta erant mendacia, neque ullam speciem veri criminis
 habebant, cujus possent reum peragere. Siquidem tanta Domi-

X. x.

m.

ni innocentia fuit, ut etiam ipsimet hostes testimonium veritatis darent, ipso tacente. Interim autem accendebatur odium illorum, & invidia stimulabat ad excogitandum, quo ipsum perimerent. Nam eum in illa purissima ac Divina luce ne minima peccati umbra cerneretur, conati sunt eum in aliquo saltem verbo deprehendere, si darent ei causam loquendi. *Nihil respondes ad ea*, dicebat Caiphas, *quæ isti adversum te testificantur?* At ipse tacuit, quia sciebat nihil profuturum, neque volebat dicere, aut facere quidquam, quo Passio sua impediri posset, quam tantopere semper desideraverat: deinde, ut exemplo doceret, quam nihili faciendæ sint machinationes mundi, & malitia, quando quis cum puritate conscientie Deum habet pro se, qui est securum refugium ac tutela suorum.

Docet, puritatem conscientie tutelam esse suorum.

Matth. 26
63.

III. Videns Caiphas, nullâ re Dominum dimoveri à sanctissimo suo silentio, summam admovet machinam sacrosancti nominis Divini: *Adjuro te, inquit, per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Erat hæc petitio talis, ut merito sperari posset ex ejus responsione, conversio totius malitie & odii in adorationem, cum lacrimis ac dolore maximo de his, quæ in eum commiserant. Nihilominus Divino consilio Pater æternus uti voluit instrumento tam malo, qualis erat hic perversus Pontifex, in occasionem, quâ Christus clarè ac publicè suis inimicis aperiret supernam veritatem suæ Divinæ personæ, quam hactenus nunquam ita disertè expresserat; & ante mortem certos relinqueret de sua persona: quod nôsse tam multum intererat. Audiens ergo Christus hanc adjurationem, habito potiùs respectu ad reverentiam Divini nominis, & ad fidem ac bonum Ecclesiæ suæ, quam ad injurias ob responsionem sibi mox irrogandas, respondit aperte: *Tu dixisti. Ego sum. Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cali.* Licet enim essentiam Dei visuri non sint, videbunt tamen omnes Humanitatem Christi sedentem à dextris Dei, in summâ gloriâ & majestate, tanquam Dominum universorum, judicantem hos ipsos suos judices: quantâ confusione ipsorum, tanto proborum solatio & lætitiâ. Hoc audito Caiphas, qui non animo

animo credendi, sed calumniandi interrogaverat, ritu Judæo-^{Et veritas} rum, animi sui sensum ac dolorem indicantium, scidit vestimen-^{tam odiosam} ta sua exclamans: *Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce parere. nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* at illi omnes condemnaverunt esse reum mortis, quam dudum ei decreverant.

IV. Sed hæc nondum videbatur sufficiens causa eum adigendi in crucem, uti volebant: nam cum ipsis non liceret ullum occidere, opus erat auctoritate Pilati præsidis: hic autem, utpote gentilis & idololatra, parùm curaturus erat illorum religiones & leges. Itaque non nisi mendaciis & falsis criminibus videbant sibi obtinendum, quod vellent: ac proinde falsæ blasphemix, quod se dixerit filium Dei, adjunxerunt alia duo falsa crimina, eaque capitalia, quod prohibendo tributa dari Cæsari, & Regem se faciendo, concitavit populum, ac turbavit quietem publicam. Quæ summâ cum furia & vociferatione exaggeraverunt coram præside, Domino nihil pro se dicente, juxta illud Isaïæ: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus, coram tondeute se obmutescet, & non aperiet os suum.* ^{Isa. 53. 7.} Judicet quisque, quàm gravis fuerit hæc ærumna Christi, & quàm exaggerata patientia: videmus ^{Falsa testimonia plerumque dolent naturas} enim non paucos pati gravia; sed quando venit ad falsa testimonia, non tantum naturæ videntur intolerabilia; sed etiam rara est virtus, quæ sufferat silentio. Quando verò servus Dei se resolvit ejus amore illa sustinere, hoc ideo facit, quod inveniat in se multos veros defectus, & obligationes erga Christum, ut offerat injuriam falso crimine sibi illatam pro aliis veris erratis; & quæ non meretur, in compensationem aliorum debitorum, & in gratiarum actionem pro bonis ab eo acceptis. Sed vita Christi talis fuit, ut nullus inveniretur in eâ nævus; nulla umbra defectus, quæ humiliaretur; nullum debitum erga eos, pro quibus patiebatur: sed mero amore sustinuit omnia.

V. Imò sic apprehendunt plerique hanc injuriam, ut valde ^{unde sine} pauci possint secum inire rationes prædictas, ut sufferant. Et ^{magna difficultate non perferuntur,} si pro aliis malis tolerandis multas sæpe causas inveniamus, tamen duplo plures ferè habemus, cur falsum testimonium tolerandum non videatur: & videmus in Sanctis quibusdam, quam-

vis ulcisci se non velint, graviter tamen eos dolere & queri. Et verò malum hoc adeò noxium habetur atque terribile, ut major pars hominum, non dico mundanorum, sed etiam eorum, qui profitentur sanctitatem, invenire soleat rationes virtutis, & honoris Divini, cur dissimulare non oporteat, ductas ab exemplo & scandalo, vel ab auctoritate & dignitate virtutis aut statûs, vel aliis, quæ persuadeant, sine culpa dissimulari non posse, obligando conscientiam eorum, quorum est impedire scandala, defendere honorem DEI, tueri dignitatem statûs & ordinis, vindicare innocentes & studiosos virtutis à calumniis & injuriâ. Sed esto Christus non obliget ad tantam perfectionem, quantam ipse exercuit; qui tamen desiderat eum sequi perfectè, pro certo habeat, Christum nullius virtutis moralis exemplum dedisse, quod imitari non possit, quantumvis heroicum & perfectum sit. Neque contra hoc inveniri possunt argumenta tam fortia, ut non multò fortiora sint ea, quæ Spiritus sanctus suggerit mentibus illuminatis, confirmata vivis & efficacibus exemplis virorum Apostolicorum, & sanctorum vitæ valde perfectæ. Quare qui hæc non assequitur, Deo gratias agat, quòd tam clementer egerit secum, ut noluerit se obligare ad tantam perfectionem, quâ fragilitas ejus terretur: & laudet eos, in quibus illam videt, & quòd se remotiorem cernit ab ea, hoc magis eam desideret.

*Bona vita
conservat
bonam fa-
mam.*

VI. Discamus ab hoc Divino Magistro verum modum conservandi honorem; qui consistit in bonâ vitâ, quâ nulli demus occasionem scandali: quia juxta S. Augustinum, qui fidens conscientia suâ, negligit famam suam, crudelis est. Non vult hic Sanctus, ut nobis honorem procuremus, vel ademptum recuperare studeamus inordinato sensu doloris, querimonia, gladio; sed vult eum conservari bonâ vitâ & exemplo. Modestia & compositio externa, continua & fervens occupatio interna cum Deo, patientia, silentium, tolerantia laborum & molestiarum, observantia legum & mandatorum, assiduitas in officio suo, benefacere omnibus, vitare peccata, & aliæ virtutes sunt, quæ honorem & existimationem conciliant homini, quando is eam minimè querit, & confundunt ora maledicentium, Sicuti videmus Judæos esse

esse confusos cum falsis suis criminationibus, Christo nec ^{Detractor} ^{suis ipse} ^{crimina-} ^{tionibus} ^{confundi-} ^{lur.} ^{wex-} ^{bum} ad eorum refutationem dicente. Qui volet ingredi hanc viam, ^{incedet} ^{secure.} Verum est, secretum tolerandi falsa testimonia pro amore Dei, nihil respondendo, & vincendi tacendo ac suffe-
 rendo, est intellectu difficile, & paucis notum. Certum tamen est, in eo magnam esse virtutem, & singularem gratiam, si debile cor hominis elevetur ad hunc statum: nec minus certum, statum hunc abundare bonis caelestibus, & fundatum esse in beatâ regione perfectæ pacis; quod cum verbis declarari satis non possit, credamus his, qui experti sunt. Pro conclusione sufficiat, hanc fortè gravissimam fuisse omnium ærumnarum, quas passus est Christus, virtute tantò magis admiranda, quantò minus intellecta, quâ etiam consummavit suam victoriam. Sufficiat etiam iis, qui in hoc ipsum sequuntur, promissum esse thronum triumphalem, in quo suos inimicos olim iudicaturi sunt.

EXERCITIUM

Circa falsa Testimonia, quæ pertulit Christus.

I.

O Gloria & honor justorum, ô Via gloriæ, Veritatis & vitæ! ^{Querimo-} ^{isa aman-} ^{is anima.} ^{voluisti,} ut etiam hoc injuriæ tibi non deesset, quod patere-
 ris mei amore; ac sustinuisti, Deus meus, ut etiam falsi testes ad-
 ducerentur, contra tuas veritates aternas. Adoro te, summa Puritas! adoro te, Fili Patris aterni, Deus, Rex, & verus Dominus meus! quid unquam in te potuit invenire mundus, quo offenderetur, quòdque cum veritate in te reprehenderet? quid contra te dici potuit, quod non esset magna, & impudens blasphemia? nihilominus tuam doctrinam caelestem arguunt mendacii; actiones sanctissimas criminantur, ac te mendaciorum & blasphemiarum damnant impudentissimè: ô amor animæ meæ! quàm contrarium est hoc genus injuriæ meritis tuis? Et tamen hoc totum nondum sufficit mihi, ut gaudeam tibi fieri similis: ô quàm diversum ac remotum à te me invenio in omnibus rebus! ô quantum sentio, quidquid contradicitur meo honori! quomodo te
 statim

statim amitto ex oculis, quando me tangunt in aliquâ re, quam non feci, & in quâ putô versari meam existimationem! & plaris æstimo honorari à mundo, quàm tibi fieri similis: non potest, Domine, mundus veræ culpæ te arguere; & quando contra me dicit aliquid falsi, tu, Judex meus, novisti, quòd in meo corde sint vera, & verè mala coram oculis tuis.

*Humilis
detestatio
peccatorum*

II. O Deus, & inspector omnium internorum meorum! tu scis, Domine, si videret mundus abominationem cogitationum ac desideriorum, quæ oculis tuis manifesta sunt, quando me vel maximè volo justificare, quòd me fugerent homines. Et valde parum illos facere, respectu ejus, quod facerent, si novissent mala animæ meæ, quæ confiteor coram oculis tuis; & quàm malè respondeam obligationibus, quas erga te habeo: quàm longè aliam de me opinionem haberent ab eâ, quam nunc habent. Et cum tu abscondas mundo, quod posses manifestare; tanta est mea superbia, ut me ipsum non agnoscam, & justificare me velim apud homines; nec tolerem vel minimam labem honoris mei, & erubescam te imitari; reputando me humilem, si vel minimum quid patiar ejus, quo tu copiosè oppletus fuisti. Tu me doces, meum honorem defendere puritate conscientiæ, bonitate vitæ, sanctitate morum, & sufferendo injurias: & ego eâ conscientia, quam tu vides, absque virtute & bonitate, solâ impatientia & lingua volo comparare mihi honorem ex eo, quod me jubes contemnere: ô misericordiam Domine! noli me separare à te: planta in corde meo hanc veritatem, & fac, ut credam illam mihi profuturam.

*Abjectus
est, qui ali-
quid in hac
vita magni-
cis.*

III. Longè fac à me, Domine, propriam æstimationem & mundi: ô quàm sum vilis & abjectus, quando magni facio aliquid in hac vitâ sine te, quantumvis magni fiat à mundo! quoties, Domine, cogito tuum honorem augeri, cum facio, quod mihi placet; sed offendi te, cum tibi assimilor sufferendo aliquid injuriæ? ubi est mea vera sapientia, mea lux vera? si est vera, & eam adoro in te, cur eam sequi non volo? si clara est, quomodo in tenebris ambulo? quomodo non semper video, quòd tacendo, & tolerando tui amore, ac permittendo me tuæ providentiæ, ad imitan-

imitandum te, crescat honor meus, justificetur virtus, & veritas melius cognoscatur, quàm si multùm turbando eam velim defendere? liceat mihi, Domine, petere, ut digneris mihi respondere, me illuminare, & inflammare in amore hujus veritatis: ubinam est, Deus meus, & sol veræ justitiæ, ista lux & veritas tam aperta, & tam occulta? ô Domine & magister meus, ô Deus meus, & Pastor meus, ô speculum veritatis æternæ! nam etsi totum credam fide, nihilominus occultum retines in te splendorem, & lucem illius, ut non degustem, neque intelligam, nisi amore & experientiâ, cum vero desiderio te imitandi. Cum igitur ita sim cæcus, illumina me: da mihi, Deus meus, veram scintillam tui amoris: doce me, ut interiùs cum gustu & fide me tradam in manus tuas; ut videam Divinam hanc lucem, & sequar; ut semper viva in meo corde remaneat.

IV. Si quæram tibi conformari, quid mali mihi potest accidere? & quid est hic mundus? quid illi debeo, vel quid mihi boni facere potest, ut studio illi placendi, erubescam tibi fieri similis? mundus judicat instar cæci, & quasi fanaticus res probat & improbat. Tuos persequitur velut hostes: promittit, & ut mendax non servat: illudit, ut adulator, & tribuit honorem apparentem, qui in momento evanescit. Sed tu, Deus animæ meæ, honoras me tanquam æternus: promittis & servas, tanquam fidelis; administras justitiam, velut incorruptus; remuneraris, ut omnipotens, eos, qui patiuntur pro te: amplecteris & impleas suavitate ac bonis eos, qui desiderant, & magni æstimant fieri tibi similes. Et tamen ego propter mundum à te fugio: reputo pro terribili onere, aspernari honorem mundi præ tuo: & malo placere vanitati, & opinionibus hominum, quàm veritati, quam adoro in te. O misericordia infinita! quando videbo hanc mutationem in me? non est in me res, Domine animæ meæ, propter quam debeas mihi dare gloriam similitudinistuæ, sed pœnas & tormenta, quæ pro me toleras. Muta, ô bonum ac Domine animæ meæ! cor meum, quia me nimium pudet abesse tam longè à tui imitatione, & æstimatione, quàm deberem habere de hac veritate.

*Conferentia
Christo
omni calca
mitata se
perior est.*

V. Sed,

*Desiderium
tolerandi
contume-
lias.*

V. Sed, ó Domine, ab hac hora erit hæc mea voluntas. Propono cum gratia tua tolerare pro te quæcunque falsa testimonia, quasvis contumelias & injurias, quæ mihi obvenient. Ignosco ex toto corde omnibus, qui contra me aliquid fecerunt, aut facturi sunt. Tui amore remitto omnibus obligationem instaurandi mihi famam, quam obtrectando detriverint: neque volo Deus meus, habere honorem vel existimationem, nisi tecum, & quam in obsequia tua mihi dare dignaberis. Ne permittas, Domine, ut quisquam patiatur propter me: da, Deus animæ meæ, bona pro malis, quæ mihi intulerint, & magna charitate eos tibi conjunge. Et si hoc terrenum cor meum non statim est integrum in hoc desiderio & proposito, sicut velles; tu Domine, fac in me voluntatem tuam, illumina me, Deus ac Dominus animæ meæ: noli radios Divinæ tuæ lucis à me abscondere. Penetrent cor meum flammæ tui amoris, ut mutant hanc meam dnr̄itiem in veram imitationem, & unionem tuam. Da mihi, Domine, vel adime existimationem apud homines, prout magis ad honorem tuum conveniet: ita ut à me tollas omnem existimationem propriam, ut, quando apud alios mihi aliquam dederis, non recedant à corde meo ardentissima desideria contemptus & humiliationum; sed me confirma in desiderio & gustu patiendi pro te, si eandem existimationem rursus abstuleris.

*TESTES
sunt bo-
norum no-
strorum.*

VI. Sed, ó Domine, quid contra te dicunt hi scelerati? da licentiam mihi, bone JESU! ut, quia isti de te judicant tam malè, ego te judicem & adorem pro eo, qui es. Dicunt, quòd Filium Dei te feceris, & te condemnant ut falsum Deum. Errant, summum bonum meum! non te falsò fecisti Filium Dei; quia verè ab æterno es generatus à Deo Patre. Ego, Domine, quanto possum amore ac fide, prostratus coram Divina tua Majestate, abscondita in hac sacra natura humana, te adoro, ut verum Filium Dei, ac Deum æternum, omnipotentem, infinitè sapientem, bonum, magnum, excelsum, & per omnia æqualem Deo Patri. Tu es tota mea beatitudo, perfectus thesaurus omnium bonorum meorum, & magnitudinum gloriæ. Dicant illi, quod volunt, tu semper es talis, amor meus, & gloria mea, summa pulchritudo mea, & felicitas æterna. Te adorant Seraphim & Cherubim: te agno-
scit

scit tota curia cælestis : ego terræ vermiculus simul cum ipsis , & omnibus creaturis te adoro pro meo Deo vero , & Filio Patris æterni. Opera tua , Domine , te manifestant : miracula tua te ostendunt : sola malitia ac cæcitas humana te non cognoscit. Quando tu , æterna mea pulchritudo ! ostendis aliquem radium tuæ lucis divinæ huic cæco cordi , ô quàm clarè cognoscit , te esse verum Filium Dei , & in seipso per tuam operationem id experitur multis modis in fide. Sed ô quando veniet illa dies beata , illa felix hora , quâ mea anima à te & pulchritudine tuâ capta dicat tibi : Tu es Deus meus , Dominus meus , & amor meus ; & ego nesciam diligere vel æstimare quidquam extra te , ô Deus , ô amor , ô Salvator meus ?

VII. Judicant te reum esse mortis , quòd Regem te feceris. ^{suam cælas dignitatem.} Ipse , Domine , non gessisti te pro Rege in terrâ , & abscondisti te , ne appareres , qui eras. Sed cui obediit mare , quando super illud ambulâsti , & ad mandatum tuum quievit ? cui obediit mors & sepulchra , cùm ad verbum tuum vitæ reddiderunt mortuos ? cui dæmones , cùm jussu tuo egrederentur ex obsessis ? cui sanitas , cùm tua virtute restituisi infirmos ? nōne suo vero & unico Regi ? adoro te , Rex ac Dominus meus. Tu me gubernas tuâ sapientia , succurris meis necessitatibus tuâ abundantia , me castigas ^{Obedit Capis.} tuâ justitiâ , parcis tuâ clementiâ , erudis sanctis legibus , ditas me beneficiis , abunde remuneraris mea servitia , tueris divina virtute. Quid ergo viderunt illi in te , ut te pro falso Rege haberent ? forsân opera tua non monstrabant potentiam tuam , & eam non confitebantur dæmones ? veniat in me , Domine , Regnum tuum : regna sine contradictione in anima mea. Hi scelerati , qui in te non credunt , te damnent , ut volent ; ego te agnosco , recipio , amplector , & advoluo tuis divinis pedibus : quia tu verus Rex meus es. Accipe , Rex ac Deus animæ meæ , hanc meam voluntatem , & fac ut semper tibi sit fidelis , neque te unquam prodat , sed maneat semper in tuis obsequiis.

VIII. Dicunt præterea , quòd prohibueris dari tributa. O Deus meus , quis ab his fuit magis immunis , quàm tu ? & tamen priusquam nascereris , deportatus es in Bethlehem , ut velut

Mala pro bonis recipit,
solus vult occupare cor nostrum,

pro subdito Cæsari pro te detur tributum: & postea mandasti Petro, ut pro se ac te tributum daret, & præcepisti dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris. At illi falsis testimoniis te onerant, tu verò nihil respondes. Talis es, Domine, ut semper mala pro bonis accipias, mendacia pro veritate, pro æquitate injustitias. Adoro te, Domine, pro meo vero iudice, & non pro raptore alieni, qui omnibus largiris omnia bona. Quid tibi tributis est opus, qui tribuis omnia, & omnia mei amore contemnis? tributum cordis prohibes dari mundo, & vis amorem animæ tribui tibi soli. Si de hoc te accusant, verum est: & quia propter hoc moreris, ego Deus cordis mei, tibi consigno hanc animam; de qua non volo dare tributum, sed totam tibi offero cum omni amore meo. Ne finas ergo, Domine, ut alius habeat partem cordis mei, sed tu totum possideas.

absque illo omnia turbatur:

IX. Accusant etiam te tanquam turbatorem populi, & quietis publicæ. O sacrilegi! Tu bone Jesu, verus Pacificator es: tu reconcilias nos patri: tu veram doctrinam tradis: tu fide purificas corda: tu tollis falsas interpretationes legis divinæ: tu feminas legem amoris: tu corda nostra jungis puro amore tui & proximi; qui te audiunt & sequuntur, sunt in pace: qui te deserunt, in omnibus turbati & inquieti sunt. Quem tumultum excitasti in populo, Deus meus? sustinisti culpas omnium, promissisti regnum cælorum, recepisti peccatores, curasti eorum infirmos, illuminasti cæcos, monstrasti eis viam ad cælum; & hi te vocant perturbatorem populi? Benedictus sis, Deus ac Dominus meus, quòd ad tam evidentia mendacia, contra opera tam sancta, vitam tam innocentem, taces, ac finis te condemnari pro eo, qui non es! Adoro hanc patientiam, hunc divinum amorem, quo pateris omnia. Quando, ó Deus meus, in me accendes hunc ignem?

O Mater Dei sanctissima, in cujus Unigenito nulla vera labe invenitur! in te recidit major pars hujus injuriæ, ut Mater impostoris ac perturbatoris habearis: tu non sine maximo dolore sentis hæc falsa testimonia contra sanctissimum filium tuum, fidelis socia in perferendis ejus injuriis: impetra mihi hanc gratiam, ut nullum alium honorem habeam, quam
 ut

ut filio tuo in hoc similis fiam. Impetra mihi, ut mea gloria sit
pati cum eo, vivere abjectum ac deſpectum cum eo. Non me no-
verint homines, ut notus ſim tibi.

O Angeli, qui adoratis hanc veritatem ! ó Sancti, qui eam
ſecuti eſtis ! laudate pro me Dominum, ut dignetur illuminare
me. Impetrate mihi robur eum imitandi, & ut nolim alium hono-
rem, præter ejus amorem ac ſimilitudinem. Amen.

Æ R V M N A X X X I.
Alapæ Christo inflictæ.

I.



Am fuit evidens falſitas accuſationum Domini,
quibus eum Phariſæi ac Principes populi cogitabant
apud Pilatum adigere in crucem; tanta quoque exi-
ſtimatio ejus & fama apud populum, ut valde me-
tuerent, nec apud populum neque apud judicem id obtineri poſſe,
quod volebant; ſed potiùs honorem & opinionem ſanctitatis vitæ
ac perſonæ ejus inde auctum, & ſe pro calumniatoribus & mali-
gnis habitû iri. Quia ut veritas ac virtus defenduntur à ſeipſis; ita
malitia non aliam rem timet magis, quàm ſeipſam; præſer-
tim ſi ſub ſpecie ſanctitatis incedat, & veneno ſuo plus noceat, &
juſtificetur non apparendo, ſicut virtus prodeundo in lucem. Sed
ut malitia & virtus extremè ſunt contrariæ, ita malitia ſibi ipſi
ſemper diſſidit, ne etiam ſub pallio virtutis ſatis diſſimulare ſeipſam
non poſſit. Quæ cauſa eſt, ut nunquam quieta ſit, ſed novos ſem-
per dolos & nequitias excogitet, utpote quæ metuit omnia. Ita
vera ſit ſententia ſacræ Scripturæ: *Perturbatam conſcientiam ſemper* Sap. 17. 3.
ſeua præſumere: quia videt, quanta ſit cauſa, ut nihil ſibi ex voto
procedat, ſed omnia in contrarium. Et ſicuti cogitat de ſeipſa,
quòd quidvis mali poſſit facere; ita non ceſſat quærere novas aſtu-
tias, quibus tueatur ſe ab omnibus: quod fieri non poſteſt, niſi mala
malis addendo.

*Virtus ſei-
psâ defendi-
tur mali-
tia ſibi ipſi
timor eſt.*

*Dolo Iudaï
famam,
Domini de-
nigrant*

II. Ita Phariſæi & principes ſacerdotum nihil magis cu-
rabant, quàm ut Chriſti exiſtimationem apud populum evert-
rent, ſuam verò adſtruerent, quam videbant iuxta veram Chriſti
ſanctitatem non poſſe conſiſtere; quòd nimis clarè appareret ipſo-
rum